

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4893

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I. Wien 1793.

1189

## P A T R I S T I C I .

1190

CCCIII. *X. F. 14.*

499 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 4. currente calamo exaratus haec complectitur: I. *In nomine domini Incipit liber qui dicitur Pharetra.* Non illa quidem contra *Judeos*, quam jam e variis *Codd.* indicavimus, neque illa *Doctorum*, quae teste *Fabricio* et *Mansio* secundum ordinem Alphabeti progreditur, sed illa, quam Libris IV. distinctam et inter *Bonaventurae Opera* in edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 99. receptam primus *ανωνυμος* imprefxit circa an. 1473. Norimbergae *Fridericus Creussner f.* cuius Exemplar tamen a nostro quibusdam in rebus abit, ut vel Prooeemia conferendo patet. Dabo nostrum: *In nomine domini sequens opusculum compilatum est de diversis originalibus diuersorum doctorum. Et dicitur pharetra. quia sicut iacula in pharetra reponuntur quibus hostis hostem ferit. vulnerat et deicit. sic etiam hic varie autoritates fide dignorum. Que si manu fidei tenuerimus hostem antiquum procul dubio deiciemus. Distinguitur autem in IIII. libros. Primus dicitur de personarum varietate. Secundus de principaliis viciorum et virtutum multiplicitate. Tercius de periculis. Quartus de graciolis. Et primi duo libelli quilibet eorum continet L. capitula quia talis numerus iubilei est figuratus. Reliqui duo unusquisque LXIII. habet capitula. Paullo aliter Impressa, quae et Capitum numero et distribu-*

tione variant. Caput postremum nobis initio plura, fine pauciora, quam Impressa, continet, id, quod pronissimum in Opere, quod non nisi excerptis PP. locis constat. *Gregorius M.* paene per totum *χορηγος* est. Ad calcem notatur minio: *Explicit pharetra fidei Datum anno domini MCCCLXXVII. Finitus est liber in die sancti Arnolfi.* Vide et *Cod. DCXC.*

II. fol. 134. absque titulo Exemplorum de Virtutibus et Vitiis variis congeries, quae primo ad Numerum C. progressa rursum a I. incipit et fistit in XXIII. Initium: *Quidam papa in honorem gloriose virginis capellam fecerat, in qua due lampades cotidie ardebant &c.* Omnia ad Seculi sui genium.

CCCIV. *VIII. D. 2.*

Codex membraneus lat. Sec. <sup>263</sup> XIV. Folior. 175. f. per duas columnas sat nitide scriptus continet *Excerpta ex variis PP. Operibus* hoc ordine: I. Congeries ex *Anselmo Cant. Hilario, Augustino, Hieronymo, Basilio &c. de Deo, Trinitate, Statu Angelorum, et primorum Hominum, de Gratia et libero Arbitrio, de Operibus sex Dierum &c.* Initium: *Ansel. in libro de concordia prescientie et liberi ar. Quere longam autoritatem in tractatu de prescientia &c.* Materiae speciales per Marginum notas et hic et in toto reliquo Codice adcurate indicantur.